Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.

24. Decembris. 9. Cal. Januar.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

Visual Library

vitia, ſed Dei timorem, fervorem in divinis, aliáque, quæ terrorem legis hujus mitigant.

S. BERNARDUS, ſ. de S. Joan. Bapt.

Judicium Dei præveniendum.

Accendamur ad pœnitentiam, Fratres; interrogemus conſcientias noſtras, & animemur ad ultionem exigendam de nobis, ut horrendum poſſimus evadere judicium Dei. Quidquid verò minus eſt fervoris, humilitas ſuppleat puræ confeſſionis.

24. *Decembris. 9. Cal. Januar.*

Floruit circa annum 1218.

B. ANASTASIA, Monialis Rameyenſis: cujus innocentiam, ac præſertim invictam in doloribus patientiam, cum B. Ida Nivellenſis haberet perſpectam, tibi ex hac vita migraturæ injunxit: ut, ſi Divina voluntas permitteret, illi poſt mortem aperires, quem locum in altero orbe fueris ſortita. Quod ſtatim præſtitiſti, illi apparens in veſte purpurea, & quatuor gemmis caput cingentibus: illíque expoſuiſti, hunc ornatum veſtis tolerantiæ præmium eſſe, gemmis verò deſignari quatuor primarias virtutes, quibus in altiori gradu fueris inſtructa.

Apparet glorioſa.

Damnaremus

Damnaremus utique ignaviam noſtram, quâ manibus pedibúſque refugimus & amovemus, quidquid nos vel leviter affligit, ſi patientiæ mercedem, æternam nempe in cœlo gloriam altiùs conſideraremus.

B. HILDEBRANDE, Hemmenrodenſis Converſe: qui tranſiturus de hujus vitæ laboribus ad meritam in cœlo requiem, longinqui illius in æternitatem itineris duces habuiſti longè nobiliſſimos. Cùm enim circa moribundi lectulum pro more candidis induti cucullis Monachi conſiſterent, aliam è regione candidatam cohortem vidiſti, quæ animam tuam ſub pulcherrimi puelli ſpecie ad ſidera deportabat. *Tu jam inter candidatos illos felix, & ab omni metu mortis ſecurus, ſuccurre mihi in illis anguſtijs, in die illa tremenda. Ora ut lacrymarum lavacro emundem animam meam, dignámque efficiam, quam Angeli ſuſcipiant.*

Floruit anno 1213.

Angelos videt moriens.

S. BERNARDUS, ſ. 1. in Paſchate.

Eſt Baptiſmus aliquis in compunctione cordis & lacrymarum aſſiduitate. Baptiſmi enim Sacramentum, quoniam iterare non licet, his qui ſæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri.

Lacrymæ ſũt alter Baptiſmus.

25. Decem-